

2 F. F. 2. S.

De

HONORIBUS HEROICIS,

DISPUTATIO PHILOLOGICA
GRADUALIS

Quæ

Permittente AMPL: FACULT. PHIL.
quæ Aboæ est,

Ibidem

Sub PRÆSIDIO

Viri Celeberrimi

DN. CHRISTIERNI
ALANDRI,
Eloqv. Prof. Ordin.

Ad diem 29 Novemb. Anni 1768.


loco horisque solitis

detenderur ut poterit.

à

JOHANNE Norregreen / *Wib. Carol.*

Exc. JO. WALLIUS.



De store Heltar som sitt Liv/
För Fosterlandet mist i krig/
Samt andra som sitt Fädresland/
Försvarat med sin tapra hand/

Och höga uti Lårdas Star
Som Pallas stelfwer amnat bar/
Och Snstrar Musæ i sitt sköt
Opuchtat under Agan söt.

När de från Werlden ljda af/
Och lägges ned i mörktan graf/
Då blifwer deras tädta namn/
Uptagit uti Famas famn.

Och skall ej tidzens ghagond tand/
Dem skada i dett sälla Land/
Ej Theons snöda lastemun
Dem mehr förtreta någon stund.

I Ceder deras Ähra står/
Inbuggen/ och ej ända får/
Fast werlden dem förtretat för/
Doch fastas det haf glömfkans dör.

Her Norrgræns Lärda Siar oflärt
Ho dngden i sitt vierta bår /
Han dngdens gröna lager, Grantz /
Till löbn skall ha med heders glang
Hur skull' ej dngden åbra få /
Och uthi mångens minne står?
Jo Farnas glade fågne, säng /
Stall henne prissa mången gång.

Lemnad af

ERICH JOH: BOSIN.

Me.

Memini Te, Præceptor lau-
darissime, cum hisce feriis
æstivalibus in mappa Italix
Geographica occupareris, nar-
rasse de Historico & Poëta quo-
dam in Paduensi Academia do-
ctissimo, Mussato illi, si recte
occurrit, nomen erat, quod
tanti apud Patavinos habitus
sit, ut decreto ejusdem Acad.
statutum sit, ut utriusque i-
bidem collegii Doctores &
Scholastici, quotannis natali
die Domini, ad ædes ejus so-
lenni pompa procederent, e-
umque cereis ac corona sa-
lutarent. Quod si ipsi ob eru-
ditionem, (quæ tamen nescio
quibus delicatis ut plurimum
sordida quædam res esse vi-
de-

detur) tantus, exhibitus fuit
honor: quantos ergo credides
rim eos fore, honores, quos
pomposi Heroës, quorum vir-
tus penitiùs animis vulgi in-
currere suevit, in meritorum
suorum testimonium reporta-
runt? sed quoniam illos tibi
laudandos proposuisti, ideo is,
& hos cum istis secutus, ad
laureas & honores, quos vir-
tus tua meruit propediem ex-
cipiendos te præpara.

ita applaudebat

FRIDERICUS BOSIN.



aducam illam & mortalem populi auram uti absque merito captare Thraconicum est: ita Remp. benè constitutam mi-

rificè decorat, si illam pro virili ornantes non ex conscientia tantum merces; sed & præmia maneant. Atque illud veteres gentilium non modò, sed omnes ferè orbis nationes per suos *Heroicos Honores* indigitasse satis constat. De quibus dum constitui pauca disserere, occurrit mihi summum illud gloriæ fastigium quod *Apotheoseos* nomen fert, primum considerandum. Erat verò *Apotheosis*, definitore *Verulamio*, *Supremus honor, qui homini ab homine tribui possit, præsertim ubi non decreto aut edicto aliquo imperii (ut Caesaribus apud Romanos) sed ex opinione hominum & fide interna ultra deferretur.* *Latinis Deificatio, & relatio inter Deos dicta est.* Non

autem unius erat sortis: quum constet aliam Heroi alicui cum adhuc in vivis esset tributam fuisse, aliam quæ talem post funera secuta est: diversam item fore apotheosin illam, quam nobis tradunt fabulæ ab ea quam ex penu Historiæ licet colligere. Inter Cerimonias, quæ circa Apotheosin Romanorum peragebantur, præcipua erat Pyræ extractio & combustio cadaveris: *Quam quidem* (Dicente Alex. Neapolit. lib. VI. Gen. Dier. c. 4) *sic fieri novimus, ut imperatore, qui referendus in DEOS & consecrandus erat, vita functo, pyram in tabernaculi formam construerent, quod auro & ebore signisq; & tabulis pictis exornatum mirifice, alio de super breviori, usque ad tertiam contignationem erigebant, aquila, cum omnium odorum aggestu in summo culmine locata: lectoque constrato purpura & auro, in quo defuncti effigies jacebat: senatus, equester ordo ac viri triumphales, quique amplissimos honores gesserant, procedentes lectum deferebant in pyram, cum carmine & hymnis, omnibusq; humanis divinisq; aggestis honoribus. Demum incensa pyra,*

cum vapore & fumo aquila agitata, è summo
 culmine tabernaculi aëra petiisset, religio
 incussa fuit, ipsius animam per inane cœlum
 petiisse, ipsumque, defecato quod mortale erat
 & caducum, in numero cœlestium & consilio
 Deorum recipi & haberi. Istam cerimo-
 niam secuti sunt ludi funebrales, in qui-
 bus nœniæ & epicedia à præstantissimis
 Poëtarum composita, canebantur, laudi-
 busque ille ab imperii successore & ora-
 toribus clarissimis, pro rostris concele-
 brabatur: Accessit porrò exstructio aræ
 & appensio statuæ, interdum & ædis de-
 dicatio, quæ cultui tum divino consecra-
 bantur. Huic religioni, successit mu-
 tatio nominis demortui, quò scilicet is
 qui tum factus esset DEUS, nomen quoque
 ab illo quod mortalis existens habuit,
 diverlum & divinius, accepisse crede-
 retur. Ita Æneas post consecrationem
 Indigetes (& post eum omnes Roman.
 Dii patrii) Romulus Quirinus, alii a-
 lio nomine appellari cœpti sunt; com-
 mune tamen omnibus isto modo sa-
 cratis nomen Divi erat: ita Phædrus

Augustum, Plinius Secundus Naruam; sapius nominant. Sed necdum finis erat sacris, necesse erat confirmationis addere sacramentum; convicti enim malefari ob imposturam obtrusam in conscientia, aliam plebi credulæ, quod priorem palliarent, obtrudebant, *multo nempe argento hominem spectate aliàs integritatis conducebant, qui juraret vidisse se ascendentem in Cælos, ceu dicit Dav. Ulman. Syn. Hist. S. & prof. p. 15. Exemplum, est ap. Svet. in Aug. Cap. 100. Et talis quidem ritus erat potiss: consecrandi Heroes defunctos Roman. apud quos, teste Alexand: loco supracit. senatus consulto cautum fuit, ne quis ex Caesarib. nisi ex decreto Patrum inter Deos referretur. De iis tantum; & quidem obiter, cum singula persequi res esset commodioris, quam nunc mihi est, occasionis; disputemus jam de illis Heroibus quibus dum adhuc viverent, ultro hæc gloriæ summitas delata est: nolumus enim esse solliciti de iis, si Diis placet, Heroibus, quibus eam gnatho-*

thones sui obtulerunt, metusvè offerre adegit; nec, qui arroganter eandem ambibant, cum nihil ad propositum nostrum faciant.

De meritis, quæ hunc gradum concedentes antecedere oportebat, dehinc loquar, nunc de processu. Cui itaque talis honor præstitus tuit, optimæ notæ in suo orbe audiebat, nec quidquam feturpitudinis illi adhærere existimabatur, idcirco quoq; eum veneratio mansit summa & votum, ut nunquam vel debuisset nasci (quale de illo) vel nunquam mori. Virgilius de Augusto, cui vivo divinitas delata est Georg. 1. sub fin:

*Jam pridem nobis cœlite regia Caesar
Invidet.*

Horatii ex lib. 1. Carm. od. 2. hoc votum est.

*Serus in Cœlum redeas diuque,
Lætus intersis populos Quirini!*

Ovidii, licet in Tomo exulantis, non frigidius tamen; Trist. V. Eleg. 2.

*Alloquar en absens absentia numina supplex
Si fas est homini cum Jove posse loqui.*

Sic

*Sic habites terras, & te desideret aether,
Sic ad pacta tibi sidera tardus eas.*

Heroës vel Heroïnæ, quos Poëtæ in numerum Cælicolum susceptos comminiscuntur, vel vivi illuc cum corporibus assumpti finguntur (quæ erat intentio Thetidis matris Achillis, dum ei corpus aquis Stygiis, præter talaria, recens nato lavisse traditur) vel parte illa terrestri igne ante lustrato: erantque rursus vel alterutro parente Deo geniti, vel mortalibus ambobus. Si quem autem ex istis singulis contigit implacabile habere aliquod Numen in Cœlis, quo erat suscipiendus, tum quidem illud intercedente aliquo ex Diis majorum gentium, Jove cum primis, ad offensas ponendas inducebatur, simulque consilium Deorum à Mercurio convocatorum in palatio Jovis, celebratum est: proponente ibi patre Deorum causas congregationis, plausumque ad honores novi istius candidati ob omnibus superis poscente: quo impetrato, secuta est admissio ejus in Cœtum Deorum & porrectio

etio ambrosiæ & nectaris e manu Jo-
 vis cum hac formula: Pota, esto im-
 mortalis. Quo ita ritè peractò, tan-
 dem saluatio ab omnibus Diis facta est,
 cui clausulam addidit convivium omni-
 um cœlicolum lætissimum: ut ista om-
 nia ex elegantissima fabula Psychæ, a-
 pud Apulejum Madaurens. Metam. l. IV.
 V. & VI Ouid. Metam. lib. IX. f. II. Phædr.
 lib. IV. cap. II. colliguntur, ubi Herculis
 deificatio à Poëtis ibidem elegantur de-
 pingitur, quam tamen non vacat par-
 ticularim persequi, uti nec aliorum He-
 roum apud eos decantatorum, ceu
 sunt Pollucis. Bacchi, Tithoni, Endy-
 mionis, Adonidis, Ixionis, Jani, Fauni,
 Pici, Julii Cæsaris per cometam &c.
 quarum diversas, ut Deorum amicitiam
 vel adepti sunt, vel eadem adeptæ,
 ut Ixion, exciderint, relationes ex Po-
 etis ipsis & Mythologis haurire est,
 mihi sufficiat generaliter de eorum ho-
 noribus hic dicere. Utrum v. Romulus
 inter tempestates ab aliquo Dæmonum
 raptus sit, an v, potius a Patribus ne-
 catus

catus & occultatus, disputare solent in utramque partem; Sed quod apparuerit Procuro, vel ejus, utpote à Senatu pecunia corrupti, puto fuisse mendacium, vel geni alicujus ipsi illudereis astutam deceptionem & ludibrium: Fabula extat ap. T. Livium l. 1. cap. 16. & Ovid Metam. l. XIV. f. 19. Diverta sane longè erat ab apparitione, qua se Flacco ostenddebat Quirinus idem, ut est in hujus Sat. 10. l. 1.

Heroës sic consecrati, non tantum Divi & indigites, sed & Semidæi, ἡμιθεοί, Dii item minorum gentium, ut different à Diis majorum gentium, dicti sunt: Hi aliàs sunt Jupiter, Neptunus, Apollo, Ceres, Diana, Venus, Mercurius &c. quod vero nulla vel paucissima apothoseos illorum vestigia extent apud Poëtas Græcos vel Latinos, causam fore arbitror, partim quod Deos istos natos putarint, ergo alia deificatione non habere opus, partim etiam quod facta eorum heroica stirpemque ne ad origines quidem nominum noverint.

Qua

Quali autē modo Heroēs & heroinæ tales apud nostros Hyperboreos in Deos relati sint ; quomodo culti, qui antea fuerint ; & quomodo illorum cultus ad exteros hinc emanarit , docent Excell. Scaff. Ups: Ant C. 5. & D. Rudbeck. in Atlant. passim.

Duplicem fuisse Schævio auctore in Mythol: p. 20, apud priscos ἀποθεόσιον , accipimus: privatam alteram, alteram publicam ; Ad illam pertinet illud Plinii L. III. Ep. 7. de Silio Italico: *Multum ubique librorum, multum statuarum, multum imaginum, quas non habebat modo, verum etiam venerabatur, Vergilii ante omnes, cujus natalem religiosius quam suam celebrabat ; Neapoli maximè, ubi monumentum ejus adire ut templum solebat.* Qui verò publico & ultroneo omnium applausu, ista honoris majestate insigniebatur, necesse habuit peculiari aliqua & supra communem sortem elata virtute, heroica nempe, inclaruisse: ita Psyche, cujus superius memini, multa dura & supra tolerantiam vulgarem posita, fortuna tamen non omni in periculo adversa, odio

Veneris, antequam cœlum meruit, passa
 fingitur. Liber Pater quæ non adverte-
 tulit in trienni contra Indos expeditione?
 Hercules, 12 vel juxta quosdam plures
 ante divinitatem labores subiit, quod ap-
 plicans ad probatissimorum par conjugū
 Poliarchum & Argennidem ita ait Poëta.

Sic & Tirynthius astra subire,

Non nisi hisse potuit mercede laboris.

Ita Plato divinos in in terris honores,
 ob summam eruditionem non inferiori
 conjunctam facundiæ, gessit; Augustus
 verò Cæsar ob regnandi peritiam &
 clementiam singularem, (quam ipsi in-
 iuisse vel læsus tastatur Ovidius:

Cæsare nil ingens mitius orbis habet.)

nec non pacem à se orbi conciliatam,
 ad ea namque tempora à condita urbe
 altera duntaxat vice Jani (quod
 signum pacis erat) claudebatur. Inde
 Horat. od. 15. l. IV. *Tua Cæsar etas va-
 cuum duellis Janum Quirini clausit.* jungantur
 istis, quæ sapientissimus idem Poëta
 l. III. Carm. Od. 3. nec non Ode 12. lib. 10
 in quibus docet quibus artibus & qua

tute Heroës hanc nacti sint gloriam.

Sciendum & hoc, quod tales quidem omnes, qui fuerant urbium vel imperiorum conditores, Legislatores, Patres Patriæ, Tyrannidum debellatores, Semidei tantum dicti sint; ex altera parte, inventores & auctores novarum artium quique vitam humanam novis commodis & accessionibus dotarunt, semper consecrati sint inter Deos ipsos Majores: quod Cereri, Baccho, Mercurio, Apollini & aliis contigit. Etenim inventorum beneficia ad universum genus humanum pertinere possunt; Civilia ad certas tantummodo hominum sedes; hæc etiam non ultra paucas ætates durant, illa quasi perpetuis temporibus. Qua de re vide disputantem Illustr. Verulamium de Augm. Scient. p. m. 56. & in Nov. org. Aphor. 129. ita ut, secundum consequentiam illam, si acus magneticæ artisque Typographicæ, & tuborum inventores in paganismo fuissent, etiam nomina sua inter Deos relata viderent, temporibus præsertim primi &

vetustissimi illius Ethnicismi, posteriora namque, ut dicit Plinius Junior, quodam in loco, *postquam desierunt facere laudanda, laudari quoque ineptum putarunt & ornari.*

Isti glorissimæ majestatis apici respondet quasi, in Papismo, bene apud illos meritorum in Kalendarium Sanctorum relatio, canonizatio aliàs dicta; sed cum illa ad religiosorum pertineat forum, religio fortè mihi est de ea hic quidquam movere. Videmus interim illum honoris ritum, diverso licet sensu, quoque in Christianismo servari: ut cum Poëtæ vel Excell: Oratores aliquem ob singulares & raras virtutes per Apotheosin in Cælum relatum innocenti fingunt commento: Ejusmodi reperitur in Colloquiis Magni illius Erasmi, ubi quoddam sub titulo Apotheoseos Joan. Reuclini prodisse cernitur: Talis quoque est Platinae, illius qui vitas descripsit Pontificum, à Secretario quodam Veneto, egregio prorsus carmine cantata Apotheosis, ut præteream illam quam super manes Jacobi Thu-

ani Excell: olim composuit Dan: Hein-
 sius, ceu est videre inter opera ejus Po-
 et. p. 38. seqq. Hic diutius nobis im-
 morari visum est quia summa, ut dixi-
 mus ante, honorum *ακμή* erat, ideoque
 non sine vitio in brevius coarctari po-
 tuit, cum & hic multa jucunda ob angu-
 stiam temporis & circumstantiarum reli-
 quarum rationē, omittenda fuerint. Nunc
 ergo ad cæteros honores Heroicos.

Omnia post Apotheosin splendi-
 dissimi erant *honores statuarum & imagi-
 ginū*, nonnunquam *cerarum* (materia enim
 earum non semper æs aut nobilius illo
 metallum, sed quandoq; cera fuit) quas
 cum nomine & brevi Epigrammate in
 publico collocabant: ut notissima illa
 Miltiadis tropæa (hæc enim quoque
 licet alius fuerint sortis, statuis annume-
 rari queunt) quib. Themistocli somni-
 us ablatu est. Gorgia Leontini Ex-
 cellentis illius Oratoris, num ex pro-
 prio fuerit solida illa statua aurea, an
 donata, dubitare licet; propriam fuisse
 ex quæstu Oratorio, asserit Plinius l. IV.

cap. 33. quod si ita est, liberales apparet fuisse ejus seculi homines erga viros doctos. Erravi penè, cum statuarum honorem secundum ab Apotheosi constitui, video enim nunc (nec vacat ordinem mutare, quamquam nec ejus adeò sumus hic observatores) aras, loca herodibus consecrata, imò animalia, arbores &c. illi esse præponenda: Sic aras & terminos usque Liberi Patris, processit Alexander in Indiam. Hippocrati aram statuerunt antiqui cum inscriptione, DEO vite, testis est Lampridius ap. Radau. Orat. Ext. pag. m. 313. Sic montes Gibraltar, columnæ habitæ sunt Herculis; quas tamen Hyperboreorum vindex quidam Excellens, in Fionia & Zelandia vult esse inquirendas. Sic etiam mater de eo ap. Sen. in Herc. Oct.

Es numen, Et te mundus aterius tenet.
Credo, triumphas, regna Thebarum petant,
Novumq; templisq; additū numē canam. v. 1979.
 Cætera facile occurrunt, vel in Mych. Nat. Comit. Schæviique. Victimarum verò maxima, quæ *εκατόμυχο* dicta est nulli ex
 he-

heroib. offerrebat, præter hostias, ex quo autem animalium genere cuique hostiæ cælae sint, rursus videri potest ex Mythis, cum prolixum sit omnia huc transcribere.

Huc accensendus *honor sepulturae intra urbem*, alioquin extra mœnia sepeliebantur, intra sepelire religione impediebantur tam Romani quam Athenienses ut ex Cic. l. IV. Ep. 12. ad fam. liquet. Nec tamen erat perpetuum omnes Heroas intra muros condere. Achilles quippe in Sigæo extra urbem Trojæ sepultus fuit. Imo Heroas Upsalienses illos priores extra civitatem in tumulis (Höggar) jacuisse, patet ex audaci Herravardæ procinctu ad Patrem Aganthyrem illic sepultum, ut Tirsiogam (gladii erat nomen) reportaret, ex Historia ejusdem nominis, & Antiqu: Upsal: Schefteri. Quicquid sit, quosdam tamen intra mœnia fuisse mandatos humi testatur, ante cit. Alex. ab Alex. Sic meruit Ennius, Nasone teste,

Contiguus poni Scipio magne tibi,

Parentabant porro Heroibus suis *su-*

gularibus ludorum generibus, quos vel quotannis vel ad minimum cum iusta illis persolverent, ad tumulum eorum instituebant: tales fuerunt olim in Græcia Pythia, Olympia, Isthmia in Deorum majorum & minorum seu Heroum honorem instituti. Particularia exempla habemus in Achille, qui per ejusmodi magnificos ludos manibus amici sui Patrocli litavit, ap. Homerum Iliad. lib. penult. & Ænea, qui Anchisæ Patri iisdem solenniter parentavit, ap. Virg. Æneid. V. Antea oportuit me dicere, quem honorem jussit Alexander fieri Hephæstioni Heroi, nempe sacrificii, ap. Curt. l. X. c. 4. cui quoque ipsi quis post obitum honor præstitus sit, idem in seqq. Cap. docet auctor.

Quibus aponi potest defunctorum existimatio & *Fama bona*, quæ Cicerone nonnullibi teste, *propria defunctorum est possessio*, quam deinde *immortalitas nominis* non potest non sequi. Ita Achilles ab Homero, Æneas à Virgilio, Alexander à Curtio & Plutarcho, Poliarchus, vel quem-

cun-

cunque tegat fictum istud nomen, à
 Barciajo, alii ab aliis immortalitati con-
 secrari sunt. Quantus quoque hoc in
 negotio fuerit zelus veterum Hebræo-
 rum, colligi potest ex Jessidæ cantico
 parentatorio, encomiastico super Saulem
 & Jonathan; illud legitur. II. Sam. I.
 cap. Imo quod fortissimum si non; nec
 sane infimum ad grandia incitamentum
 est, quod *Heroum filii* (modo non, ut est
 prov. fuerint noxæ) olim *ex publico* secun-
 dum leges Solonis, Athenis *nutriti hono-*
ratisq; sint docente Alex. ab Al. Gen. dier.
 p. 229. Corn. Nep. in Aristid. Cap. III.

Istis adjicerem Pyramides, & luxurio-
 sa illa maulea Ægyptiaca, ni scirem
 illa non ab aliis sponte, sed ab ipsis
 Regib. ingentibus extructa fuisse im-
 pensis, ad gloriam & inanem aliquan-
 do ostentationem: sicut etiam *Heroum*
 ap. Poëtas in *astra transformationem*, nisi
 doctus essem quam prolixam ex my-
 this ea ipsa mereant explicationem.
 Antequam tamen facio pausam, lu-
 bet paucis de honorib. qui vivis He-

robis contigerunt differere. Quid enim mihi mortuo honores cum non sentiam, nisi quoque vivus iisdem orner? licet sapius tandem ex busto eorum laus caput erigat, quos in vita invidia sæpenumero deprimere allaboravit.

Sunt autem inter honores, qui vivis Heroib. apud veteres tribui assolebant, *Triumphales*, hoc est, quando alicui belli duci ob hostes V. M. numero profligatos vel imperii terminos dilatatos ex senatus auctoritate in triumpho (de Roman. hic mihi sermo est) in urbem & Capitolium ingredi licuit. Proxime triumphantem precedebant magistratus, subsequerentur Senatores) quem morem Cæsar violavit, passus enim est magistratum subsequi) postea sequebantur milites laureati, præfererentur tabellæ, coronæ, imago Herculis: ut nihil dicam de currû ornatuque triumphantis, iisque quib. post mortem ut Trajano, triumphus datus est &c. de quibus fuse eruditus ille Alex: Gen. Dier. l. VI. C. 6. brevius Castilioneus in not. ad

ad Salust. B. Cat. c. 30 & Cic. in Orat pro
 Muræna: cujus hæc sunt verba: *quid*
vinciti ante currum duces? quid simulacra
opidorum? quid aurum? quid argenteum?
quid legati in equis & tribuni? quid Filia
pretextati? quid clamor militum? quid tota
illa pompa? Qui mos judicante Verulam.
 de A. S. l. VIII. non res erat ex pompa,
 aut spectaculum quoddam inane, sed in-
 ter prudentissima planè nobilissima-
 que instituta numerandus. Utpote qui
 in se hæc tria haberet; Ducum decus,
 & gloriam, Ærarii ex spoliis locuple-
 tationem; & donativa militum. Dif-
 fert ab eo sed gradu solum modo Qua-
 tio de qua nec vacat pluribus disputa-
 re. Adeat Lector si lubet antea lau-
 dati Alex ab Alex l. VI. C. 17. ubi, qui-
 bus ex causis ovare ducibus licuerit,
 & in quib. à triumpho differat ova-
 tio ex professo agit.

Nec priori isti quidquam cedunt
honores victoribus in Certaminibus, olympi-
co cum primis, in Græcia celebratis, ex-
hibiti. Quia affirmante Corn. Nep.

*magnis in laudibus tota erat Græcia victoris
rem Olympiæ citari. Celebrabantur a. illi ludi
quinto aut potius quarto quoque an-
no ad urbem cognominem, erantque
instituti ab Hercule in honorem Jovis
Olympii. Certamen vocabatur Penta-
thlam, vel quinquertium, eò quod
quinque certaminum generibus dimi-
icaretur nempe Cæstu. (aut etiam Disci
jacta) Lucta, Saltu, Cursu, Pugilatu
Victor dictus Olympiones & a Præ-
stantissimis Poëtis laudatus in patri-
am redux, honoris ergo, per rui-
nas murorum exipiebatur, docente
Hildebr. in Not. ad Alcib. Corn. Nep.
p. m. 123. de equo victoris phalerato
aliisque ornatibus vide pluribus disse-
rentem Alex: Neop. Gen. diæ lib. V. cap.
8. His addid quæ Gell. 1.3. Noct. Att. C. 15.*

*Sed & singulari aliquo charactere in-
signiebantur viri Heroici, quemadmodum
J. Cæsar, qui perpetuus factus erat di-
ctator, cum ante eum munus illud am-
bulatorium fuerit, laurique semper ge-
standæ potestatem à senatu accepit: Pa-*

ri modo Augustus, Pater Patriæ (ut ille apud Pharaonem) vocatus est. Vid. Flor. l. IV. cap. 12. Penelope Heroïna (quibus illam recenset J. C. Scaliger in suis Poëmatibus) ob castitatem, pro castissima quaq; appellari cœpta est; contrarium licet quodam Græco Scriptore sentiente. Similiter Lucretia, Aristides &c. proverbiiis loca dederant. Restat ut de *torquibus, fertis*, aliisque Heroïum virorum ornamentis agam.

Torquibus, coronis, fertis & annulis ornare Heroas, jam antiquissimis erat pro more: Babylonios certè & Ægyptios illum servasse ex sacris constat Historiis, v. g. Gen. 41. v. 42. ubi Josephus, è manu Pharaonis ista ornamenta accipit; illud vero in Ægypto contigit: apud priores, in usu fuisse Historia tradit Mardochei. Esth. Cap. VI & VIII. Apud Romanos Manlius Torquati cognomen, ob ademptum hosti Gallo torquem, adeptus est. de hoc rursus videri potest Alexand: Gen. D. l. IV. Cap. 18. Corona erat multiplex, *civica*, quam per-

perpetuo gestare licebat & fiebat ex fronde, hanc qui meruisset, in ludis à populo universo & senatu ei assignabatur. Corona *obsidionalis* erat ex gramine in eo loco collecto, in quo cives obsidione liberati erant; Corona *muralis* desinebat in similitudinem pinnarum, *navalis* autem instar navis rostrata erat; *caesarensis* ab his quoque diversa fuit. donabantur v. illis qui primi urbis obsessæ murum ascenderant vel qui urbes, castra aut exercitus obsidione liberassent civemque servassent. Primus Manlius Capitolinus decimo & septimo anno ætatis murali corona donatus est. Ceu de iis disputatur à Mich. Raudaa Orat. Ext. p. m. 169. & Zanch. in notis ad Sall. B. Cat. c. 7. p. m. 13. De his Adoneisque cæteris vid. rursus fuisse docentem Alex. ab Alex. GD. I. IV. c. 18. Apud Græcos servatum est diu, scribit idem auctor a libi, ut qui Imperatoris hostem fugasset, *trophæa* donaretur; qui occidisset aut funditus evertisset, triumpho, vel encomio & *peplo*. Fuisse autem pepulum, velum in quo qui facinora gesserant for-

fortia, singula egregia gesta, atque acerrima prælia & maxima effingere, illudque pro immortalis memoria exponere palam, & templis dicare assueverant, scriptores produnt: in quo Deorum imagines, sæpè clariss: virorum gesta effingebant. Peplo Minervæ & Arachnes quid intextum fuerit, ingeniosiss: commemorat Poëta Ovid. Met. l. VI. fab. II. unde natum Prov. *dignus peplo*, h. e. quocunque honore. Reliqua certaminum præmia & tropæa, qualia sunt illa quibus Heroës ab Ænea Rege ap. Poëtam, donati sunt, lubens & sciens prætereò nominasse saltim velut etiam alia insignia (*Hjeltewapn*) sufficiat. Quin etiam fuerint Heroës non pauci qui istis præmiis & honoribus de quibus egi carere debuerint; non est ut quis in ambiguo relinquat; similes interim istos dicere licet in imaginibus Cassii & Bruti, de quibus in oratione Junia non gestatis, cum aliæ plurimæ ducerentur, Tacitus, *eo ipso, inquit, præfulgebant quod non visibantur.*

CONCLUSIO

Ibi habes sed breviter & simpliciter depictos honores Heroum, qui quidem licet omnes hanc vitam, ubi paucos & malos terimus dies, considerando, nihil aliud sint quam horti quasi Adonidis, umbra, vel ut sapientes dixerunt Heliados, somnium de umbra: quæ res quoque plurimos nominis tui memoriam, veluti fumum aut auram despiciere impulit, qui erant

Animi nil magne laudis egentes,
 quorumque severa Philosophia ab illa pullulavit radice, *Non prius laudes contempserunt, quam laudanda facere desierunt;* illud enim licet interdum laudem mereatur non parvam, cum primis dum ex modestia, non Saturnia quadam severitate profluat, ut fecisse suum Principem II. tradit Consul in Panegyrico; tamen non efficiet quin apud nos illud Regum Sapientissimi prævaleat: *Memoria justis eum laudibus, at impiorum nomen peresceat;* Cujus rei quoque insignes fuisse observatores Hebræos veteres tradit

sacer codex II. Sam. xxiii. v. 8. seqq. Syr:
 cap. XLIV. seq. Hyperboreos item nostros,
 ut alia silentio involvam, carmina He-
 roum (Kämpewiser) idem sensisse, suf-
 ficienter testantur. Plura sis adi Clariss.
 Kirhmajer. Præfat. in Panegyri. Pliniæ
 & Gerh. Joh. Vossii in Inst: Orat. pas-
 sim. Hæc B. L. boni consule, & quemad-
 modum ignoscere soles tenuitati tæcus,
 qui non amplius duabus noctibus, ut hic
 meus, natus est, huic quoque quæse
 ignosce, & vale! sit
 ergo finis

DEOQUE HONOR IMMORTALIS!



UNIVERSITY OF CHICAGO

Ms. A. 9. 2. 1168